



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XIV. Iacob. Sadolet. Episc. Carpent. Ioan. Lothoringio Cardinali, S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

XIV.

JACOBI SADOLET. EPISCOPI CARPENT.
Joan. Lotberingio Cardinali, S. P. D.

Non me fecellit, non minus esse in te humanitatis, quam nobilitatis. Præclara omnino ingenia, quæ hanc laudem consequantur, ut non plus pariantur in se ornamentorum & dignitatis a fortuna esse, quam a virtute: idque ego in te satis antea noveram. Sed tamen Paulus ad nos reuersus, ea mihi de te narrauit, hisque verbis animi tui egregias virtutes atque laudes edidit, ut ad summam meam tuæ liberalitatis & humanitatis opinionem addi iam nihil posse videatur. Equidem quoddam me laboraturus esses in memoria, quod Paulo ipsi nullo loco defuissent, & speravi antea, & nunc re expertus sum. Sed quoddam tamen fuisse, tamque amanter id esses facturus, vicit in hoc (ut verum fatear) tua excellens bonitas expectationem meam. Itaque quomodo tibi agam gratias nescio: cuperem equidem referre & dignas, & debitas. Sed hoc etiam fuerit præstantis animi tui, scire peremeret de altero, quantum tibi reddi non possit. Ego vero non sum fortunatus, neque opum præmiis & honoribus, quam ista commate natura, & significatione amoris sic obligor, ut nullum firmiter ad me deuinciendum potentius. Quo quando iam tibi ita obstrictus sum, ut solui eo amplius nec possim, nec velim: sic te de me existimare, nullius tibi animum, nullius studium, nullius obseruantiam aequè esse paratam, ut meam. Et quoniam tu gratia referenda nihil tibi possum de me polliceri, quod copiam & opum sit, quibus tu pro tua & maiorum tuorum amplitudine ac dignitate honestissimè abundas, ego minus etiam quam mediocribus contentus viuo: id quod in me est, quoque sicut viti magni, & præcellentes, ab amicis tenuioribus contentus esse polliceor tibi & recipio, si mea digna fuerint studia quorum testimonio virtuti honos habeatur, gratiam me tibi aliquam in illis, & veri amici fidem operamque nauaturum. Paruum hoc quidem, & cuius penè me pudeat. Sed tu qua magnitudine animi nostram spem de te tuis officiis superasti, eadem summam in nobis voluntatem referenda gratiæ pro relata gratia accipies. Vale patrone noster, & nos tui studiosissimos tuo patrocinio semper tuere. Carpent. XVII. Calend. Septemb. M. D. XXXII.

IAC.